

PL. 1779


X 1904106

II  
Nr  
31

DE ARTE  
CHEMICA.  
EIUSQUE  
CULTORI-  
BUS.  
Epistolæ Tres.



*Artem qui Medicam didicit : qui Chemica tractat :  
Si bonus est, omni fraude carere solet.*



BUDISSINÆ

EXCUSUM TYPIS NICOLAI  
ZIPSERI.

Anno: cI. I. CVII.

BIBLIOTHECA  
PENICKAVIANA



*Docto & Candido Lectori. S.*

**G**ravissima hoc tempore bella geruntur, non tantum à Ducibus & militibus, armis & gladijs: sed etiam à viris doctis, lingua & scriptis. Nam Theologi, Jurisconsulti & Medici, varijs in locis, inter se digladiantur. Bellorum autem quæ à viris doctis geruntur, vel ambitionem, vel inscitiam & imperitiam caussam esse arbitror. Relictis autem Theologorum & Jurisconsultorū rixis Ecclesiam & forū turbantibus & ad me nihil pertinentibus: Medicorum solummodo mentionem faciam. Horum aliqui Galeni doctrinam sequentes, Chemicis, (qui & Hermetici dici volunt,) bellum inferunt, atq; artem Chemicam vanam, inutilem & perniciosa vociferantur: Chemici contra, artem suam jucundissimam, utilissimam & Medicis omnino necessariam esse probare conantur. Etsi autem nōstrum non sit, tantas componere lites: Attamen non alienum ab arte mea esse judico, si, quid ego de Chemia ejusq; cultoribus sentio, in medium proferam, & veritatis patrocinium suscipiam: atq; hoc bellum facile posse extingui, si fraudibus & nugis ab utraq; arte & parte remotis, rem ipsam sedulò perpendamus, ostendam. In quem finem cum amico veteri & docto per literas sum collocutus, quas viris doctis offero, non aliam ob caussam, quam quod utrāq; artem, per se, jucundissimam, utilissimam, & humano generi omnino necessariam esse judicem: Et ut ambitioni & imperitiæ quorundam Medicorum & Chemicorum, invidia & avaritia laborantium, obsistam. Si quid durius à me dictum videtur, id non de viris doctis & bonis, quos omni laude dignos esse judico, sed de nugatoribus & fraudulentis impostoribus, quos detestor, dici, omnes viri boni & candoris amantes intelligunt. **V A L E**

*Joannes Francus Hildesius D.*

1381288128812881

# D. Joanni VVeidnero

Seniori, Doctori Medico in Republica  
S P R O T T A V I E N S I , S.



x literis tuis, ante hoc tempus ad me datis, clarissime & doctissime vir, amice charissime, intellexi, te iam senile ætate arte Chemicæ delectari, quam in iuvenili sis aspernatus. Qua in re imitaris Philosophum affirmantem, licet unum pedem haberet in sepulcro : se tamen adhuc fore cupidum discendi. Ego quid de hac arte ciusq; cultoribus sentio, breviter exponam. Cum ante annos triginta sex, Argentorati Philosophiæ & Medicæ arti operam darem ; cum D. Michaele Toxite, Chimicæ artis perito, familiariter sum converfatus Deinde etiam ad D. Adamum à Bodenstein, quem Basileæ in hac arte excellere fama erat, me coniuli, ut si quid egregii haberent (valde enim in ea ætate eram curiosus & discendi avidus) expiscarer. Sed utrumq; multum pecuniæ decoxisse & parum hac arte præstitisse, intellexi. Rarò etiam ad curandos ægros vocabantur. Progressu temporis etiam in aliorum quorundam Chemicorum amicitiam, utpote Joannis Montani Strigenſis & Leonardi Turneifferi (qui tunc temporis non tam eruditione & morborum curatione, quam diligenti Physicarum rerum indagatione & medicamentorum quorundam Chemicorum la-

boriosa præparatione, celebres habebantur) me insinuavi,  
Et libros etiam vel potius ænigmata Hermeticorum dili-  
genter perlegi. In primis vero Geberi, Reimundi Lullii:  
Arnoldi de villa nova, Rosarium, Turbam Philosopho-  
rum: Isaci Hollandi, Bernhardi Comitis, Paracelsi, Col-  
lectanea Lacinii, &c. Nec pauca in Galliæ & Germaniæ di-  
versis locis, à peritis artificibus, non sine labore & sumptu-  
bus collegi & descripsi. Ex quibus cum propter nimiam ob-  
scuritatem parum didicisse; etiam recentiorum scripta  
pervolvi, & hodierno quoq; die, l. bros Andernaci, Querce-  
tani: F. Basilii Valentini. Gastonis Clavei: Penotti: Hein-  
rici Cunradi: Libavii & aliorum, non oscitanter lego: dispu-  
tationibus Eraſti, Auberti, Moresini, Guiberti & aliorum  
contra Chimicos, non neglectis. Si quæris quid utilitatis ex  
horum lectione ad me redierit? sic habeto; Artem Chemicam  
à tot veteribus & doctissimis viris nobis commendatam,  
perse, nec vanam nec contemnendam, sed jucundissimam  
& utilissimam esse statuo. Per eam enim multa mira, jo-  
cunda & utilia, laborem non fugientibus, manifestantur.  
Qui verò hanc artem exercent, id plerumq; dupli fine fa-  
ciunt; nimirum ut vel imperfecta metalla in argentum  
vel aurum transmutent: vel ex metallis mineralibus &  
vegetabilibus singulari artificio, vi ignis, præstantissima  
medicamenta, ad curandos tam internos quam externos  
humani corporis morbos, confiant. Quidam utrumq; fi-  
nem sibi habent propositum. Inter illos qui metalla trans-  
mutare conantur paucissimi sunt, qui id quod verbis pro-  
mittunt, re ipsa præstare possint. Plurimi vero impostores  
versutissimi, aliis divitias & aureos montes policentur,

cum

cum ipsi plerumq; sint pauperrimi. Metamorphosin metalorum non esse impossibilem, certa experimenta testantur. Quis enim negat, ex ferro posse fieri cuprum: ex Mercurio argentum & aurum; cum id à peritis artificibus, sine dolo & fraude sæpius sit demonstratum? Et ego hinc mei oculis vidi quendam Mercurium in Argentum transmutantem, quamvis sine magno lucro. Et quanquam id rationibus Philosophicis repugnare videatur: tamen ubi rerum testimonia adsunt, quid opus est verbis & subtilibus atq; in anibus disputationibus? Rerum enim experientia potior est omni sophistica doctrina. Quis Aristotelicis rationibus probabit, ex cinere & arena posse fieri vitrum adeo pellucidum? Averroës inquit: In Alchimia multa sunt, quæ fieri posse non videntur. Ideoq; Alchimia & Magica ars à nomine scientiæ excluduntur, quoniam in his plurima sunt, in quibus argumentatio deficit, ut scribit Galloottus Martius libro de doctrina promiscua, capite 27. Nullum est dubium, quosdam artifices particulares habere tinturas, quibus viliora quædam metalla in præstantiora possint mutare. Et si inter multos qui hanc artem profitentur, paucissimi sint, qui semper optatum finem assequantur, nisi singulari Dei beneficio adiuti. Posse autem Chemicos talem lapidem Philosophorum præparare, quo omnia alia metalla in purum aurum subito convertantur, & omnes etiam gravissimi morbicurentur: non facile adducor ut credam, nisi videam. Nemo enim unquam in aulis Cæsarum Regum aut Principum visus est, qui talem lapidem confecerit, quo imperfecta metalla in aurum mutarit & omnes morbos gravissimos curarit.

Quod enim de Paracelso, Bernardo Comite, Arnoldo  
de villa nova & aliis dicitur, incertum est, & ob id proba-  
tione opus habet. Paracelsum nec Cæsari, nec Principibus,  
nec tibi, nec amicis multum auri fecisse, ex relieto à se Te-  
stamento certum est. Bernhardus, se totam suam ditionem  
decoxisse, ipse fatetur. Sed præparato lapide Philosophico,  
& tandem redemisse & gravissimos morbos curasse, non legi-  
tur. Idem de aliis iudico. Et odi sapientes qui nec sibi nec  
aliis sapiunt aut profunt. Ideoq; Lapis ille Philosophorum  
à quodam describitur, quod sit Spes longa, depauperatio  
dulcis, & Lepus quem nemo possit capere. Mirandum igi-  
tur, quosdam Magnates, amore auri, adeo d̄xementari, ut  
sæpe etiam in doctissimis & imperitissimis nebulonibus,  
hanc artem profitentibus, non modo fidem habeant, sed &  
cum magno suarum facultatum dissipatio, omnia illis li-  
beralissime suppeditent, donec ipsi ad extremam inopiam  
redigantur. Tales profecto inanem spem præsentip pecuniā  
emunt, & vigilantes sibi magnas divitias somniant. Novi  
ego Barones & Nobiles prædivites, qui fraude Chemicorum  
impostorum, omnibus bonis sunt exuti, & nihilominus  
tamen (quæ madmodum illi qui rei metallicæ operam dant  
& fodinas colunt) ab inanispe non potuerunt abduci. Nec  
minus miror, quorundam impostorum tantam esse temeri-  
tatem & audaciam, ut principibus viris, etiam cum præ-  
sentissimo vitæ periculo (alii enim virgis ceduntur: alii  
capite plectuntur: alii suspenduntur: alii perpetuis carce-  
ribus detinentur & variis modis excruciantur) ea policen-  
tur, quæ ipsi nec probarunt unquam, nec præstare possunt.  
Sed tales ego à Dæmone aliquo Chemicorum aut metallico d̄x-  
mentari & excæcari facile credo.

Nunc de iis, qui Medicamentis arte Chemica præparandis, sunt occupati, scribam. Horum aliqui sunt viri docti, fundamentis Philosophiæ Platonicæ & Aristotelicæ, & artis medicæ ab Hippocrate & Galeno traditæ, probe instructi, atq; ad hoc munus à D E O, & Magistratu legitime verati. sedulò operam dantes, ut Medicamentis convenientibus & gros citò, tuto & iocundè curent. Fatendum est, artes non simul esse inventas & absolutas. Magna iigitur laude digni sunt, qui artem medicam à veteribus traditam, novis & utilibus suis inventis magis magisq; illustriorem reddunt & arte Chemica talia Medicamenta parant, quæ sine nausea ab ægris, magno fructu, assumi possunt. Qualia hoc tempore in officinis optime constitutis multa habentur; Et quibus ego etiam, data occasione, libenter utor. Chemica enim medicamenta, si à perito artifice, ut decet, recte confiantur, & à viro docto methodice adhibeantur, in gravissimis morbis, mira sçpè præstant, & ob id laude sua non carent. Et profectò nimis sibi placent, & valde sunt morosi, qui spretis Medicamentis Chemicis, à se neq; visis neq; adhibitis, Galeni tantum vestigiis insistendum esse volunt. Quasi mille quingentis annis, extinto Galeno, omnis humani ingenii vigor, ita sic debilitatus ut nihil præclariūs & utilius potuerit investigare atq; invenire: cum manifestum sit, nostri seculi ingenia, veterum nequaquam esse hebetiora, sed multa præclara & utilia, veteribus plane ignota, eruisse, & magna cum laude in lucem protulisse. Sed inter doctos, qui ea confidere nō runt, quidam sunt invidi, quidam vero admodum avari. Illi si quid præclari invenerunt, id sibi reservant, vel suis tantum

tantum ægris exhibent, nec cum aliis communicant, immemores mandati Christi iubentis, ut proximum diligamus sicut nos met ipsos, eumq; quantum possumus siue præsens siue absens sit, iuvemus. Interea tamen ut laudem aucupentur, publicis scriptis sua illa arcana magnopere prædicant atq; laudibus in cælum extollunt & lectoribus hoc modo fumum vendunt, atq; seipso suspectos reddunt. Avari autem, non minus quam illi, suorum medicamentorum præparationem alios non docent; sed tamen magno & iniquo precio, (licet id quod pollicentur minime præstare possint) vendere non recusant. Atq; ita non tam vitæ proximi quam marsupio suo consulunt. Sæpe etiam medicamenta vulgaria & officinis nostris usitata, aliis nominibus appellant, & multo auro, non sine fraude, aliis obtrudunt. Veteres Medici, quamvis Ethnici, suorum Medicamentorum præstantissimorum, ut pote Theriacæ, Mithridatii & aliorum descriptionem & compositionem aliis non inviderunt, sed cum posteris candide' communicarunt. Quantò magis hominem Christianum decet, dona sibi à DEO data in proximi sui salutem impendere, & suis medicamentis non tantum ægros præsentes sed & absentes iuvare, & non tam lucrum quam ægrotantium salutem spectare, & Sed de hisce plus satis.

Sunt etiam ex duobus obliquis compositi (loquor de Chemicis nugatoribus) qui non tam avaricia commoti quam ambitione & ðæauriæ adducti (omnibus enim præferri volunt) sanis & ægris persuadere conantur, se singulæria arcana & astralia quadam Medicamenta habere, quibus morbos etiam desperatos & medicis Galenicis omnino

incura-

incurabiles facile & sine omni difficultate (quasi hoc potius  
in sua quam in DEI manu sit) curare, & vitam ad extre-  
mam senectutem (ad quam ipsi tamen raro perveniunt)  
prolongare possint. De quibus suo more, magno fastu, cer-  
to fatuitatis indicio, egregie nugantur. Sed cum ad rem  
ventum est, nihil est. Aut enim nulla vulgaribus præstan-  
tiora habent: aut necessitate urgente, neglectis suis myste-  
riis, iis medicamentis quæ in officinis habentur, utuntur.  
Et si res illis feliciter succedit, id Chemicis suis medicamen-  
tis, vulgaribus scilicet additis, nugaciter adscribunt, ut  
hac ratione plures ægros allicit, & multum pecuniæ lu-  
centur. Et hic etiam est singularis quidam modus (ut Iu-  
risconsulti loquuntur) acquirendi, sed medicis doctis & piis  
minime usitatus.

Quid autem dicam de illis, qui fingunt & scriptis pu-  
blicis proclaimant, se panaceam invenisse, ad depellendos  
omnes morbos idoneam & probatam? Sunt nugatores im-  
pudentes, circulatorum more laudem & pecuniam aucu-  
pantes. Eventus enim, illorum pollicitis, minime respondet:  
Quis unquam audivit talem Medicum fuisse in mundo,  
qui uno aliquo Medicamento omnes morbos curasset? Si  
Arnoldus de villa nova, & Paracelsus, lapidem illum Phi-  
losophorum (ut fertur) habuerunt, quo omnes morbos cu-  
rare potuerunt: cur quæso tot medicamentorum formulas  
scriptis suis inservierunt? Quod enim potest fieri per pau-  
ciora, non debet fieri per plura. Nugæ igitur sunt viris  
doctis indignæ, uno aliquo Medicamento, omnes morbos  
curari posse. Nisi fortassis per Pharmacon Venenum in-  
telligas, quo simul cum morbis etiam vita tollatur?

Deniq<sup>z</sup> sunt etiam indoctissimi & ineptissimi blaterones ad nullam rem, quām ad opera Chemica & Medica minus apti, qui si modo aquas & olea quādam per destillationem possunt elicere, se non tantum præstantes Chemicos, sed & excellentes esse Medicos fingunt & mentiuntur (cum in nullo mendacio, teste Plinio, maius sit periculum) atq<sup>z</sup> in has præclarissimas artes, sine omni necessaria doctrina, illotis manibus irruentes, Medicamentis suis destillatis, omnibus morbis se mederi posse, non modo vulgo, sed etiam hominibus non vulgaribus persuadent. Sæpe etiam sua garrulitate efficiunt, ut viris doctis & in arte Medica probè exercitatis præferantur; & suis nugis plus pecuniae, quām viri docti sua arte lucrantur. Hi per mortes hominum experimenta facientes, iudice Galeno, in hoc tantum à latronibus differunt, quod isti in silvis, illi in urbibus & pagis homines iugulent. Longe aliud est posse Medicamenta quādam præparare: aliud vero morbos curare: illud ad Pharmacopæi aut Chemici periti: hoc ad Medici officium pertinet.

Quamvis non nego, Medicos simul posse esse Chemicos, & contra. Si modo utramq<sup>z</sup> artem & necessaria ad eas pertinentia diligenter didicerunt, & longo usu exercuerunt. Neq<sup>z</sup> enim Medici & Chemicci una nocte, ut fungi, nascuntur. Sed hæ artes magno studio, longo tempore, multolabore & frequenti usu atq<sup>z</sup> exercitatione acquiruntur. Medicamenta etiam tām ab imperitis Chemicis præparata, quām ab indoctis Medicis exhibita, raro sine magno vitæ periculo assumuntur. Sunt enim veluti cultellus acutus in manu pueri. Ne quis autem horum impostorum errores, quos in præparandis aut exhibendis Medicamentis admittunt, deprehendat, singulari studio quibus medicamentis

utantur & quomodo, aut ex qua' materia ea confecerint,  
prætextu suorum arcanorum occultant. Atq; hac fraudu-  
lenta & perniciofa calliditate, non modo suam inscitiam &  
temeritatem tegunt: sed etiam in ægrotorum vitam & fa-  
cultates sine metu grassantur. Nihilominus tamen ad ta-  
les plerumq; fit magnus concursus, veluti ad agyrtas men-  
daciis in locis publicis inter se certantes. Mundus enim  
vult decipi, & plerumq; ex uno atq; altero, secundo vel ad-  
verso, imò etiam fortuito casu de Medici eruditione iudi-  
cat, nec quanta doctrina & experientia opus sit ei, qui docti  
Medici nomen tueri vult, intelligit. De omnibus hisce nu-  
gatoribus & impostoribus hinc inde vagantibus, & tam Che-  
micam quam Medicam artem deformantibus & pecuniam  
undique aucupantibus, Doctissimus Fuchsius ita scribit:  
Cum viri docti, multis in locis, non in magno sint precio:  
fit, ut hi qui garriendo, iactando, policendo, nugando, men-  
tiendo adulandoq; plurimum possunt, omnium iam sint  
doctissimi & gratissimi, &c. Hæc ego vir doctissime potis-  
simum ad te scribo cum, ut quid ego (Medicis Galenicis cum  
Chemicis bellum gerentibus) de arte Chymica eiusq; culto-  
ribus tam bonis quam malis, sentio tibi significem; tum ut  
ad literas tuas respondeam, & tarditatem verborum compen-  
sem: deniq; ut veterem nostram amicitiam hoc litera-  
rarum colloquio renovem. Tu ut vicissim data occasione  
scribas: definitionem lapidis Philosophorum (si habes) ad  
me mittas, & si quid arcani arte Chymica eruisti, mecum  
communices, oro. Vale, D E O te tuosq; protegente. Bu-  
dissina 27. Julii, Anno 1606.

JOANNES FRANCUS D.  
Reipub: Budiss: Medicus.

# D. Joanni Franco Doct:

Reipub: Budissinensis Medico. S.

**P**actus tandem γραμματοφέρον idoneum, vir doctissime, amicorum veterreme & suavissime, ad binas tuas literas, eodem argumento scriptas, respondere perplacuit. Ut autem brevibus me expediam verbis: in μεταφορά metallorum tibi prorsus assentior. Quicquid enim garriant quidam Peripatetici & organiant: refutat eos ipsa experientia: cui contradicere sophisticum esse ex Galeno didicimus. An autem possit confici ejusmodi lapis Philosophorum, quo omnia alia metalla in aurum subito convertantur: & morbi etiam incurabiles persanentur: ego affirmare non possum: neque etiam affirmantibus fidem habere. Scotum illum Basileæ, de quo antea tibi scripsi, lapidem talem, hoc est, rubentem pulvisculum habuisse, cuius grano dimidio siijs plumbi, intra horæ quadrantem, in purum putum aurum transmutaverit, Zvingerus ad me scripsit, Non autem fuisse animam (ut vocant) auri: quæ ex auro aqua artifice extracta, atque argento purissimo liquefacto reddita, illud in aurum convertit, certum est: cum non argentum sed plumbum, & quidem tanta quantitate mutaverit. Animam voco sulphur auri quod nōrunt artifices separare à Mer-

curio

curio illius: sed sine lucro. Ex libr<sup>i</sup> auri vix ej sulphuris seu tincturæ elicetur. Quod remanet est Luna quidem purissima, quam Mercurium Philosophorum vocant. Hæc autem duo sulphur & Mercurius Philosophorum quidam ulteriūs elaborata & exaltata conjungunt, & lapidem illum suum conficiunt, perficiendis metallis & fanandis ferè omnis generis morbis idoneum, &c. Sed longè divinior & sublimior est lapis Philosophorum: qui haud dubio veteribus fuit cognitus: à plurimis quæsitus: à paucissimis inventus. Neq; enim tot myriades librorum à veteribus scriptorum extarent de hoc arcano: nisi subeffret veritas. Forsan etiam Urim & Thumim summi Sacerdotis Israelitici nihil aliud fuit, quām lapis ille arcarius & mirificus, Christum repræsentans.

Quod autem plus nimio posteritas huic lapidi tribuat, cum nimirum in ictu oculi, cuncta metalla in aurum mutare: & morbos omnes perfectè & radicitus tollere, nihil novi est. Galenistæ nostri idem faciunt suis compositis Medicinis, Theriacæ, Mithridatio & alijs: Paracelsistæ suis quintis essentijs, oleo Vitrioli, floribus & oleo Antimonij, in cœlum usq; ea extollendo & celebrando: quæ tamen exhibita nil tale præstant. Maximam & singularem vim inesse in lapide illo curando Gallicum morbum, lepram, hydropisin, Phthisin, Mæniac, Comitialem & similes facile credo: cum ex auro vitæ, ex Mercu-

rio vulgi, ex sulphure quædam confiantur reme-  
dia, non modo à Paracelsi sectatoribus, sed etiam à  
Galenicis hodiè approbata. Quod deniq; invehe-  
ris acerbè in illos Medicos, qui arcana sua summis  
laboribus acquisita vel inventa, non illicò publici  
juris esse volunt: nimium religiosus es. Fecerunt  
& faciunt hoc summi Medici, Itali, Galli, Germani:  
ut liberis suis thesaurum quendam relinquant: de  
quo tamen ipso proximo aliquid comunicare pos-  
sent. Fontes tui deriventur foras, & tu dominus il-  
lorum maneto. Nolite sanctum dare canibus: Nec  
uniones porcis obijcite. Quid? quod Salomon ipse  
sapienissimus, librum Medicum à se conscriptum,  
è manibus populi penitus sustulerit, cum videret  
populum potius ad librum quam ad D E U M confu-  
gere in morbis? Quare violari Charitatem proximi  
minimè puto, si quis quædam egregia sibi & suis re-  
servet, cum paucis vero bonis, non superbis, non  
alios ridentibus communicet. Tempore Eliæ mul-  
tæ erant viduæ in Israël, sed apud nullam divertit  
Elias, nisi apud Sareptanam. Et Bulcholcero nostro  
in ore hoc erat: Man muß das Oelfrüglein nicht gar  
ausgiessen. Benè & feliciter Vale. Sprottaviæ dic  
æquinoctij verni, A N N O 1607.

Joannes Weidnerus  
Senior, D.

D. Joanni

చ్ఛి చ్ఛి

# D. Joanni Weidnero Seniori

Doctori Medico in Republica Sprot-  
taviensi : S.

**R**edit & mibi sunt literæ tuæ, doctissime  
& amicissime Weidnere, quibus ad meas bre-  
viter respondes, & metamorphosin metallorum  
non esse impossibilem mecum approbas. Metal-  
la non differere specie, sed tantum raritate, densitate &  
colore, quæ cum sint accidentia separabilia, non variare  
species Chemici affirmant. Et quæmadmodum homo æger,  
adhibitis idoneis Medicamentis, per solum alterationis  
motum, absq; corruptione & generatione, sanitatem re-  
cupera: ita & imperfeta metalla, convenientibus, tin-  
etur quasi Medicamentis suis, sanari & perfici docent.  
Scotum illum, cuius mentionem facis, non modo Chemi-  
cum sed & præstigiatorem fuisse fama est. Qua arte igi-  
tur ex plumbo aurum fecerit, ignoro. Mercurium quo  
plumbum abundat, in Solem posse mutari, credo; sed de  
scoriis plumbi valde dubito. Novi quendam singulari  
quadam Stibii præparatione argentum in aurum mutasse.  
Sed ego in hac arte (qua quidem delector) non sum exerci-  
tatus, nec tempus nec locum Chemica tractandi habeo ido-  
neum. Evidem non de confiendo auro, (quam artem  
malo discere quam docere & aliorum periculo sapere) sed  
de præparandis optimis medicamentis ad de pellendos mor-

B 4

bos

bos idoneis sollicitus sum. Lapidem Philosophorum seu tinturam & Medicinam illam universalem, nunquam vidi, nec à præstantissimis nostri seculi Chemicis, se vidisse, audivi. Quamvis nugatores quidam spretis & præse contemptis aliis doctissimis viris, de hoc lapide, sibi nec cognito nec viso, s& p̄ suavissime fabulentur, sibiq; huiusmodi nugis mirifice placeant. Urim ad Thumim summi Sacerdotis Israelitici, quid fuerit, ignoratur. Non autem fuisse aliquid humana industria factum sed rōθēop credibile est. Pyrotechniam quidem fuisse patribus veteris testamenti non ignotam, multis S. scripturæ locis probari potest. Legisti Exodi capite 32. v. 29. Moysen vitulum aureum Israelitarum, igni combussisse, atq; in pulverem redactum aquæ inspersisse, & Israelitis ad bibendum dedisse.

Quomodo hoc aurum potabile Moyses præparaverit, pauci Chemicæ intelligunt. Veterum scriptis de Lapide Philosophorum, eiusq; admirandis Virtutibus, fidem non derogo, (quamvis scio eos de equo Troiano & aliis rebus multa scripsisse vix credibilia:) sed cum Comico dico: fac promissa appareant. Imō manus nostræ sunt oculatæ, credunt quod vident. Si inter omnes huius nostri seculi Chemicos, vel unustantum fuisset aut esset, qui confecto lapide Philosophico, tanquam Medicina universali plurimos latentes morbos curasset, facilius ea quæ scribuntur & dicuntur de hoc lapide crederem. Qui à Fioravanto describitur Lapis Philosophicus, non est is, de quo veteres loquuntur. Et nisi maiori diligentia corrigeretur, ego profecto co uti nollem propter Spiritus aquæ fortis perniciosos non ablatos, eumque ad authorem suum relego.

Morbos

Morbos quo tu recenses non minus ab aliis doctis Medicis,  
quam à Chemicis fuisse curatos, multis exemplis constat.  
Galenicos, non minus de suis Medicamentis quam Chimi-  
cos nonnunquam hyperbolice loqui, ex Myrepso & aliis ap-  
paret. Laudat venales qui vult extrudere merces.

Quod putas me acerbius in eos invehi, qui sua arcana,  
magnis laboribus & sumptibus à se inventa non cum omni-  
bus communicant: Velim te scire, me non expetere, ut si quis  
aliquid præclari invenit, id cum omnibus, etiam ingratissi-  
morum reprobare, qui publicis, scriptis aut sesquipedalibus  
verbis, sua mysteria & arcana medicamenta, iactant,  
& nescio de quibus Sigillis, & Characteribus multis infirmi-  
tatibus profuturis, fabulantur: cum tamen nulla remedia  
vulgaribus præstantiora habeant, & electoribus atq; audito-  
ribus hoc modo fumum vendunt. Iudico etiam non levi-  
ter peccare eos, qui cum præstanti aliquo medicamento à se  
invento, ( si id in lucem darent,) multos fortassis iuvare  
possent, id vel sibi tantum reservant, vel neglectis paupe-  
ribus, divitibus magno precio vendunt. Optarem igitur,  
tales aut omnino tacere, aut fideliter docere, aut cum aliis  
multis, iusto precio, sua inventa communicare. Panaceæ  
scilicet illius inventor, medicamentum illud omnibus ven-  
dens, recte fecisset, si modo præparationem non occultasset,  
& tot virtutes, quas non habuit, ei adscripsisset, atq; hac  
fraude ementes pecunia emunxisset. Omne bonum est com-  
municativum sui, inquit Philosophus. Et DEVS ipse tam  
malis quam bonis, dona sua largitur, quem imitari debe-  
mus. Si quis publico scripto policeretur, se sanguine Phani-

cis avis, omnes morbos curaturum: quid quæso utilitatis adferret legentibus & ægrotantibus, cum sanguis ille haberi non possit? Idem faciunt quidam Chemici, arcana sua publice celebrantes & domi occultantes, aut non habentes. Dulcia sæpè sibi vigilantes somnia fingunt. Deum dona sua varie distribuere, non ut abscondantur sed ut in communem hominum usum, etiam sine spe lucri, conferantur, certum est. Non accenditur lucerna, inquit Christus, ut ponatur subter modium, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus qui in domo sunt. Imò qui sua, aliorum candelam accendit, ignem suum non diminuit. Et sic fontes nostri derivantur foras, nos autem domini illorum manemus. Nec sanctum datur canibus, quod datur sanguine Christi redemptis, qui profecto cum canibus & porcis non sunt conferendi. Qui Medicamentis à se inventis, multos alios possunt iuvare, idq; facere nolunt: similes sunt Sacerdoti & Levitæ, qui, relicto à latronibus sauciato & semi mortuo, præterierunt: cum potius beneficium Samaritanum, suis Medicamentis vulneratum curantem, imitari debebant. Quid Itali, Galli, & Germani quidam faciant-  
susq; deq; fero. Novi quosdam, reservatis sibi nucleis, nobiscortices, scriptis & disputationibus suis in utilibus, vendere & obtrudere. Sed an recte faciant quæro? Salomonem librum suum medicum, non invidia aut avaritia commotum, è vulgi manibus eripuisse: sed ægros prius ad Deum, deinde ad Medicorum opem configere voluisse: Et Eliam apud viduam ipsius auxilio maxime opus habentem divertisse, dubium non est. Nostri vero Bucholceri de parsimonia dictum, hoc non pertinet. Sed

de

*de his alias plura. Vale vir doctissime & amicissime.*  
Budissina 26. Martij, A N N O 1607.

*Joannes Francus D.*



Budissinæ  
EXCUSUM TYPIS NICOLAI  
ZIPSERI.  
ANNO à N A T O

*Chr!sto IesVre De Mptore nostro.*


Q 1774 31

Biblioteca  
ECCLESIASTICAE  
SISTEREL  
ANNO 1610

Chrysostomus

VDAZ  
n

*Art*



## KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

LICENSED PRODUCT

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



E  
A  
I

b

II  
31

